

cum Elisabetha Regina Bohemiarum, totam Bohemiam: Philippus Maximil. I. filius per connubium Johanne, Ferdinandi Hispan. regis filia dotalia regna Hispaniarum, Siculum item, & Neapolitanum domui Austriacae acquisivit. Effectus ejusmodi quoque in connubiis Romanorum cum filiabus Sabinorum &c. perspicitur: nam qui per raptum hostes, per connubia contracta amici, affines, soceri & generi facti sunt, cum foedere conjugii, obtinentes etiam foedus amicitiae, pacis & securitatis. Refert enim historia, quod Sabini in novam urbem demigrarint, & opes avitas cum generis suis pro dote sociarint.

§. III. Verum militant tamen argumenta pro negante parte validiora, & non facile cum alienigenis conjugia ineunda esse, nisi publicae salutis, & variarum circumstantiarum consideratio aliud svadeat, sequentia urgent. (1) Judaei in Dei populo uxores alienigenas ducentes non tantum reprehenduntur Gen. 28. 1. Ex. 34. 16. sed etiam ducere prohibentur. Deut. 7. 1-6. &c. ductas dimittere jubentur Neh. 9. 2. c. 13. 25. Malach. 2. 11. (2.) Talia conjugia scandalorum & seductionis plena, uti in Salomone patet, cujus cor uxores alienigenae ad idololatriam inclinabant. 1. Reg. 11. v. 4. (3) Periculum discordiae metuendum: cum vix sine felle thorus inter eos, qui gente, proindeque mente, ingenio, moribusque discrepant, locum habere queat. (4) Gens propria, sincera, sui que similis, aliarum nationum connubiis inficitur, & ut sanguinis, ita morum quoque labem trahit. Hinc Tacitus de Germanis cap. 4. 1. *Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germania populos nulli aliarum nationum connubiis infectos, propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.* (5) Exempla, infelicitatis prostant non pauca. Aristotel. l. 5. polit. c. 7. Locrorum civitatem, scribit, ob contractas cum Dionysio affinitates prorsus averfam esse. Sic in annalibus Anglicis Henricus I. II. III. Johannes I. Edoardus II. contractas cum peregrinis, non nuptias, sed potius Reip. exequias celebrasse comperti sunt. Quam ob causam Carolus M. Irenem, ultro nuptias cum Orientali Imperio offerentem repudiavit. Conf. Berneggerus c. 1. ubi ex Tacito. (6) *Remp. foedari per talia conjugia in habitum exoticum* scribit: qui tamen, si promiscuus sit ac varius, plerumque morum secum trahit mutationem. Quod Nicephorus